

CASUS
DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI
SEU

De occisione sui indirecta. — De occisione aggressoris vitæ, bonorum famæ. — De abortu. — De duello. — De bello.

CASUS I.

OCCISIO SUI INDIRECTA 1°.

GORDIANUS, fur et latro insignis, captus et in altissima turri inclusus, capitis pœnam merito timens, e carcere statuit exire, et imminentis morti se eripere. Perfracto igitur et terebrato muro, sese dimittit fune quodam, qui ne medietatem quidem turris æquabat, inde in terram prosiliturus, non obstante evidentissimo vitæ discrimine, ut certam mortem a sententia judicis imminentem effugeret. Ast infelicititer admodum successit eventus. Vix enim funem cratibus ferreis affixum apprehendit, ut, eo rupto, ab altissima turri decidendo, sibi cervicem fregerit, et animam efflaverit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An, vel quando liceat se indirecte occidere, seu certo mortis periculo se exponere?*
 2° *An in casu graviter peccaverit GORDIANUS?*
 3° *Quid si actum fuisset, non quidem de morte vitanda, sed de carcere durissimo effugiendo?*

SOLUTIO :

376. — R. ad 1^m Quæs. Certum est nunquam esse licitum se directe occidere; si vero veneramur aliquos qui hoc fecerunt, dicendum est eos id fecisse ex inspiratione divina. *S. Lig. l. 4, n. 367.* Licet vero aliquando se indirecte occidere, id est aliquid facere vel omittere ex quo, præter intentionem, mors secutura sit. Ratio est, quia præceptum servandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter aliquam necessitatem, vel maximam utilitatem, scilicet quando, ex actione periculosa quæ ponitur, aliis effectus bonus, qui periculum compenset, immediate sequitur et ab agente intenditur; tunc enim mors sui ipsius permititur quidem, non vero procuratur. *S. Lig. n. 366 et 367.* — *Recole dicta de act. hum. n. 7, et seq.* — V. Comp. n. 9 et 389.

377. — R. ad 2^m Quæs. Neg. Ratio est, quia GORDIANUS desiliendo non intendit seipsum occidere, sed potius mortem ex sententia judicis imminentem evadere: etenim, licet desilire nequeat absque evidenti mortis discrimine, nihilominus desiliens, per hoc non censetur voluisse seipsum

occidere, sed infame potius mortis supplicium evadere. Hinc potest quis ex incensa domo per fenestram prosilire, vel ex conflagrante navi in mare se conjicere, non quidem ad mortem petendam, sed ad duriorem evadendam. *Elbel, n. 13.* — *Sættler, de 5^o Præc. art. 1, quæs. 2.*

378. — *Objicies :* Ergo, ad mortem duriorem evadendam, GORDIANO licuisset etiam seipsum gladio transfigere?

R. Neg. Nam ille qui transfigit seipsum, sui ipsius mortem directe assumit et intendit tanquam medium ad mortem duriorem evadendam; e contrario; qui prosilit e fenestra, vel e navi, minime sui ipsius necem intendit, sed majoris periculi fugam: si vero mors sequatur, *per accidens* præter fugientis intentionem accidet. Reversa, si quis in aliis circumstantiis id faceret, merito quidem de voluntate se interficiendi argueretur; si quis autem id faciat mortis durioris necessitate compulsus, argui nequit quod propriam mortem intenderit. *Elbel, n. 14.*

379. — R. ad 3^m Quæs. Etiam tunc probabiliter de peccato gravi damnandus non esset GORDIANUS, quia in his circumstantiis prosiliendo non intenderet seipsum occidere, sed tantum per fugam se liberare a squalore perpetui carceris, saepe morte ipsa duriore. *Elbel, n. 16, cum Bonacina.*
 — Sporer. — V. Comp. n. 389.

CASUS II.

OCCISIO SUI INDIRECTA 2°.

AUDIFACIUS, gravissimi criminis reus, et capite plectendus, dum esset ad supplicium cum aliis damnatis jam deductus, in cubiculo quodam cum Confessario constituitur, dum ministri justitiæ circa alios morte plectendos detinebantur. Advertit AUDIFACIUS januam cubiculi non esse obseratam. « Pater, ait Confessario, haberem nunc optimam occasionem effugiendi et « exterrimus supplicium evadendi. Quid mihi suades? Fugiam, vel hic « adstab mortem expectans, et infame supplicium subiturus? » Confessarius, ad hanc inopinatam quæstionem attonitus, respondit: « Fac quidquid tibi placet, si effugeris non te detinebo. » — Verum, paulo post: « Hic remanebo, inquit AUDIFACIUS, et pœnam quam meritus sum, in peccatorem pœnitentiam subibo. »

HINC :

- QUÆR. 1° *An AUDIFACIUS potuerit licite sive fugere, sive mortem expectare?*

2° *An recte responderit Confessarius?*

3° *An Confessarius irregularitatem incurrisset, si reum indurisset ad remanendum?*

4° *An sonentes possint se suppicio offerre?*

SOLUTIO :

380. — R. ad 1^m Quæs. Utrumque potuit; etenim:

1° Potuit fugere, quia damnatus ad mortem, supplicium infame cum facile vitare queat, exspectare non tenetur, siquidem hoc heroicum est; actus autem heroici per se sub lege non cadunt.

2º Potuit etiam remanere, quia quivis damnatus aut damnandus ad mortem potest, amore justitiae, se judicis sententiae conformare.

381. — R. ad 2^m Quæs. *Affirm.* Etenim ex dictis AUDIFACIUS potuit vel fugere, vel remanere, ut mortem expectaret; ergo libertatem ac electionem ei Confessarius concedere potuit.

R. ad 3^m Quæs. *Neg.*, quia in tali consilio Confessarii nullus apparet defectus *lenitatis*, et illud consilium datum fuisse, illæsa rei libertate, absque respectu directo ad ejus mortem; consilium enim ejusmodi non tendit ex natura sua *directe* ad mortem, sed *indirecte* tantum, et velut *per accidens*. Ita saltem probabilius et communius. S. Lig. l. 7, n. 464 et seq.

382. — R. ad 4^m Quæs. *Affirm.* Ratio est, quia *reus*, se offerendo neci, seipsum non occidit, sed tantum justa de causa vitam producere omittit, vel saltem mortem legitimo motivo sibi inferendam procurat. Hoc autem a recta ratione alienum non censetur; non repugnat enim rectæ rationi, justæ sententiae executionem procurare ex amore *justitiae*, *pœnitentiæ*, vel etiam æternæ beatitudinis intuitu.

Objicies: Ergo licet se martyrio offerre etiam absque speciali inspiratione, vel gravi causa, ad martyrum aureolam consequendam?

R. *Neg.* *paritatem et consequentiam*; quia *reus*, se judici offerendo, nullius peccati causa vel occasio evadit: e contrario, innocens qui sine causa urgente, vel sine motu speciali gratiæ, se offert tyranno ad martyrium, eum quodammodo ad injustum homicidium allicit; secus vero si id gloria Dei vel propagatio Fidei exigeret. Elbel, n. 18. V. Comp. n. 390 et 391.

CASUS III.

MIRA VIRGINIS INDUSTRIA.

EULALIA, virgo pia, et castitatis amantissima, cum die quadam a milite ad luxuriam cogeretur, nec periculum ullo modo evadere posset, sic lascivum hominem effata est: « Audias verbum tantum, et rem miram tibi indicabo. » Consistit ille: « Ecce, inquit EULALIA, si mihi peperceras, docebo te artem vi cuius in bellis lædi non poteris unquam. En ego hoc unguento ungo collum meum: tu stringe gladium, percute collum meum. » et certum artis meæ habebis experimentum. Miles, curiositate et rei novitate captus, rem ocios experitur, et uno ictu amputavit caput EULALIE quæ, hac industria, a summo periculo amittendæ *virginitatis* erupta est.

HINC :

QUÆR. 1º An EULALIA licite egerit? seu, an potuerit mortem suam procurare ad castitatem servandam?

2º An potuisset ab altissima fenestra se præcipitem dare, ut e manibus impuri violatoris eriperetur?

SOLUTIO :

383. — R. ad 1^m Quæs. *Neg.* *per se loquendo*, id est, secluso casu cœlestis inspirationis, vel bonæ fidei. Ratio est, quia isto modo occisionem

sui *directe* procuravit, vel eidem *directe* cooperata est. Nunquam autem licet mortem sibi *directe* inferre, vel modo directo morti suæ cooperari. Stante autem casu, ut jacet, *per accidens*, EULALIA ab omni peccato excusa est, quia optima fide processisse omnino videtur. Voit, n. 662. — Sætller, de 5º Præc. art. 1, quæs. 2.

384. — R. ad 2^m Quæs. *Affirm.* Tunc enim occisio, si sequeretur, non esset *directe* volita, sed *indirecte* tantum, seu potius permissa; quia obiectum proprium et directum voluntatis esset fuga a periculo, et absolute fieri posset ut morti subtraheretur. Sic immunes habentur ab omni peccato suicidii, illi qui, ad flamas incendiis effugiendas, ab altissima domo se deorsum demittunt. *Recole dicta ad primum casum*, n. 376 et seq.

CASUS IV.

VITA VOLUNTARIE BREVIATA.

ANSELMUS, Carthusianus, graves cruciatus in suum corpus exercet, parcoque cibo reficitur, prævidens se ideo citius moriturum. Graviter autem ægrotans recusat medicinas sibi propositas, et omittit manducare carnes, licet medicus eas tanquam medium ad valetudinem recuperandam ei præscripserit.

HINC :

QUÆR. 1º Quænam media homo tenetur adhibere pro valetudine et vita conservanda?

2º An ANSELMUS peccaverit vitam abbreviando per corporis cruciatus, et cibi abstinentiam?

3º An peccaverit recusando medicinas et carnes sibi a medico præscripta?

SOLUTIO :

385. — R. ad 1^m Quæs. Homo adhibere tenetur media ordinaria pro vita sua conservanda, quia non habet dominium directum, sed tantum utile vitæ suæ. Proinde eam curare debet tanquam fidelis custos et administrator. Non tamen tenetur adhibere media extraordinaria, aut pretiosa, saltem *per se*; quia id officium prudentis administratoris non requirit, et obligatio major nimis anxietatibus eum exponeret.

386. — R. ad 2^m Quæs. *Neg.* Ratio est, quia, hoc non obstante, is adhibet curam sufficientem corporis, ut mors non proxime sequi possit. Licet enim carnem vigiliis et inedia moderate affligere, et abstinere etiam a parte cibi communis, quamvis mors citius sequi debeat; quia sic non tollitur, sed non producitur vita, ad quod *per se loquendo* nemo tenetur.

Insuper, utilitas spiritualis exinde proveniens corporali prævalet. Alias tot Sancti graviter peccassent, nedum sanctificati fuissent. Peccarent etiam tot homines qui artes laboriosas, v. g. in fodinis, in officinis ferreis, vitreis, etc..., vitam consumunt et abbreviant. Hinc potest quis Religionem ingredi, licet valetudine debilis, nec tenetur e Novitiatu exire, aut victimum a com-

muni diversum petere, neque mutationem loci requirere, licet prævideat vitam suam sic fore abbreviandam. *S. Lig. n. 371.*

387. — *R. ad 3^m Quæs.* 1^o ANSELMUS, licet ob bonam fidem excusandus sit, non potuit tamen licite respuere medicinas communes, si morbus fuerit non solum gravis, sed periculosus, quia sunt media ordinaria et facile parari queunt. 2^o An vero potuerit licite abstinere a carnibus, quibus vitam valeat conservare? Controvertitur: affirmant alii, quia Religiosus ille pro bono communi Ordinis, et ex amore regulæ, bene potest vitam negligere; negant vero alii, quia non apparet in ista abstinentia tantum Ordinis bonum. *S. Lig.* dicit primam sententiam probabiliorem, *n. 370 et in Hom. ap. de quinto Præc. n. 2.* Igitur sub illo respectu minime inquitandus est ANSELMUS.

CASUS V.

OCCISIO INNOCENTIS.

EUSTACHIUS, belli dux, obsidens urbem, huic excidium minatur, nisi UGOLINUS, quem in regem suum esse reum criminis læsæ majestatis existimat, morte plectatur, aut sibi extradatur. Magistratus autem urbis, reperpensa, eum prorsus innocentem reperit. Hæret igitur anceps et anxius, nesciens an licite mandato ducis obtemperare possit. Interea EUSTACHIUS pergit oppugnare urbem, et innocentes non pauci occiduntur.

HINC :

QUÆR. 1^o An magistratus potuerit plectere UGOLINUM capitali supplicio, aut saltem eum extradere?

2^o An EUSTACHIUS peccaverit occidendo innocentem in urbis expugnatione?

SOLUTIO :

388. — *R. ad 1^m Quæs.* 1^o Non potuit eum occidere. Ratio est, quia nunquam licet directa intentione occidere innocentem, nisi Deus facultatem concedat. Nec obstat quod sit licitum amputare membrum corporis toti corpori nocivum, quia in casu nostro UGOLINUS non est nisi membrum morale communis, quod ab ea esse et vivere non accepit, sicut membrum physicum a corpore. Hinc similiter non licet occidere obsides, etsi illi qui eos miserunt non servent fidem, quia sunt innocentes. *S. Lig. n. 393.*

2^o An vero magistratus potuerit innocentem tradere? Controvertitur. Alii negant, quia esset cooperari ejus morti injustæ. Sed probabilius affirmant alii, quia res publica jubere potest ut ipse exeat, et adeat ducem a quo civitas excienda est, et si nolit exigere, eum tradere potest, quia tenetur quisque privatus vitam suam ponere pro republica ab interitu conservanda; sicque, si nolit, fit nocens, et alioquin mors ejus sequitur præter intentionem reipublicæ, vel magistratus. *S. Lig. n. 393.* — Reuter, part. tertia, *n. 38.* — Lessius. — Molina. — Layman, etc...

389. — *R. ad 2^m Quæs.* Generatim licet, quando necessarium est ad urbem justo bello expugnandam, vel victoriam reportandam, tormenta in

hanc urbem dirigere, licet in ea sint multi innocentes, quia horum mors præter intentionem sequitur. Proinde in nostro casu a peccato excusandus est EUSTACHIUS, licet innocentes plures occiderit urbem expugnando, quia debuit obtemperare mandato justo principis; fuit autem justum mandatum, si crimen UGOLINI probatum fuerit, licet error in probationibus irrepserit.

CASUS VI.

DEFENSIO CONTRA INJUSTUM AGGRESSOREM 1^o.

MARTIALIS et HECTOR, milites, imo et duces, nescio qua de causa, litem inter se movent, et verbis asperis contendunt. Verum post verba ventum est ad verbera. HECTOR, sui impotens, coram pluribus viris conspicuis spectantibus, insignem sodali suo inflxit alapam. MARTIALIS pari cum dexteritate argumentum retorsit. Crescebat procella, cum ab aliis mediatoribus duo certantes alius ab alio fuere avulsi. Verum sequenti die MARTIALIS injuriam sibi illatam perferre non valens, in HECTOREM, districto gladio, occurrit. HECTOR autem, ictum præveniens, adversarium vix congrederentem transfigendo prostravit.

HINC :

QUÆR. 1^o An MARTIALIS peccaverit repercutiendo HECTOREM, seu alapam retorquendo?

2^o An HECTOR peccaverit aggressorem occidendo in præfatis circumstantiis?

3^o An liceat injustum aggressorem prævenire ipsius occisione?

SOLUTIO :

390. — *R. ad 1^m Quæs.* Juxta aliquos non peccavit MARTIALIS alapam retorquendo, quia id postulabat honoris reparatio. Etenim, aiunt, miles qui alapam infligit, huic honorem aufert, ita ut in morali hominum aestimatione percussus habeatur imbellis et effeminatus miles, nisi par pari referat; si vero repercusserit, honorem in aestimatione vulgi recuperat. Sed oppositum tenendum est, ut ait recte *S. Lig. n. 382.* Ratio est, quia: 1^o repercutiendo sumitur vindicta; porro dicit Deus: *Mihi vindicta, et ego retribuam.* 2^o Quia tali modo verus honor reparari nequit, sed vanus et vanus honor apud homines improbos tantum reparari dicitur. 3^o Quia ista doctrina aperte reprobata videtur in prop. 30^a ab *Inn. XI* damnata, ut asserit *S. Lig. n. 382.* — Lugo. — Viva, etc. 4^o Quia repercussio periculi plena est, siquidem aliam repercussionem provocabit, et inde conflictus lugendus, infensissimæ iræ, et etiam homicidia facile subsequentur, ut in casu nostro accidit. Ergo MARTIALIS omnino de gravi peccato damnandus est.

391. — *R. ad 2^m Quæs.* HECTOR non peccavit se defendendo in actuali invasione contra injustum aggressorem; omnia enim jura vim vi repellere permittunt. Hinc, si non possit propriam vitam tueri, nisi adversarium occidendo, minime incusandus est; secus vero, si potuit se alio

modo defendere, v. g. eum lædendo, etc., quia moderamen inculpatæ tutelæ prætermitteret. *S. Lig. n. 380.* — *V. Comp. n. 395.*

392. — *R. ad 3^m Quæs.* *Per se neg.* Ratio est, quia prævenire inimicum solum paratum ad aggrediendum, non est defensio, quia nulla est adhuc aggressio. Excipiunt plures casum in quo quis ex aliqua actione novit inimicum esse determinatum ad invadendum, v. g. si certo sciret illum jam ad hoc parasse arma, etc., nec locus esse fugæ, quia tunc inutiliter exspectaretur aggressio, si jam repelli non amplius possit. *S. Lig. n. 687,* relata hac sententia, recte concludit eam, etiam cum limitatione apposita, vix in praxi admitti posse, propter hallucinationis periculum, quod in hujusmodi re adesse potest.

CASUS VII.

DEFENSIO CONTRA INJUSTUM INVASOREM 2º.

GERARDUS, Parochus, auream argenteamque Ecclesiæ supellectilem domi asservabat in arca bene obserata, cum ea quæ ipsi in proprios usus inserviebat. Hoc duobus furibus innotuit. Ecce intempsa nocte, armis instructi et simulato vultu, in ædem Parochi irrumpunt, et vitam se ei erepturos minantur, nisi sibimetipsis quidquid auri vel argenti domi haberet, ocios tradisset. GERARDUS, in certo vita discrimine constitutus, furibus id omne quod requirunt expromere cogitur. Verum Parochus e periculo ereptus, ad rem totam recuperandam, e fenestra tormentum in fures explodit. Heu! frusta. Ex ictu corruit quidem mortuus unus e furibus, sed ille qui res ablatas minime ferebat; alter vero prorsus incolumis cum furto evasit. Die sequenti Missam celebraturus, GERARDUS anxius dubitat an fortasse irregularitatem incurrerit. Nihilominus, spreto dubio, Sacrum peragit.

HINC :

- QUÆR. 1º *An, et quando liceat occidere invasorem bonorum?*
 2º *Quid de casu GERARDI sentiendum?*
 3º *An irregularitatem incurrerit?*

SOLUTIO :

393. — *R. ad 1^m Quæs.* 1º Licet occidere invasorem bonorum magni momenti, si alio modo bona servari nequeant : ita communiter et probabilissime, ait *S. Lig. n. 383.* Ratio est, quia quisque jus habet conservandi bona magni momenti relative ad statum suum, et media ad id absolute necessaria adhibendi. Porro si hoc laicis licitum est, quare Clericis prohiberetur? Etenim, si Clericis licitum non esset sicut et aliis, pravis hominibus cresceret animus Clericos bonis suis spoliandi.

2º Quamvis illicitum sit occidere, post factum, injustum invasorem sive vitæ sive bonorum, quia esset vindicta, non vero defensio, licet tamen occidere furem cum re magni pretii aufugientem, si alio modo res recuperari nequeat; quia effectu perdurat aggressio. Ergo etiam Clericis idipsum licebit, cum nulla lege speciali prohibeatur.

394. — *R. ad 2^m Quæs.* GERARDUS, Parochus, damnari non potest de peccato homicidii, sicut ejus loco laicus non damnaretur; sequitur ex dictis. Si autem frustra latroni mortem intulerit, illud omnino per accidens evenit : bene igitur fecit dubium spernendo, atque, ex conscientia tamen formata, Missam celebrando. *S. Lig. n. 384.* Consulendum tamen ipsi videtur, ut, nisi urgeat aliqua obligatio specialis, ob reverentiam Christo mitissimo debitam, per aliquot dies a celebratione Missæ abstineat.

395. — *R. ad 3^m Quæs.* GERARDUS minime irregularitatem incurrit propter homicidium; etenim ex dictis non peccavit : ergo pœnam ob peccatum incurrire non potuit. Hæc enim irregularitas est ex delicto, non vero ex defectu, siquidem irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi ob occasionem quæ fit a ministris justitiæ, vel a militibus in bello justo offensivo. ut ex Jure canonico colligitur; nec obstat quod aliquis Religiosus declaratus fuerit irregularis propter furum occasionem, ut habetur ex cap. *Suscepimus, de homicidio*, quia Religiosus ille excessit moderamen inculpatæ tutelæ, fures jam vinctos occidendo. *S. Lig. l. 7, n. 389.* — *V. Comp. n. 397.*

CASUS VIII.

DEFENSIO CONTRA INJUSTUM AGGRESSOREM 3º.

SALADINUS, vir in suo loco præcipuus, audit, et ex certis indiciis advertit sibi a GABINO parari magnam calumniam. Putans autem non esse aliam viam hanc injuriam propulsandi, querit occasionem eum occidendi. Paucis post diebus, ecce! obvium habet ipsum GABINUM, cui mortem minatur. GABINUS, ut notam ignominiae non sibi inurat, primum subsistit, animo occidendi SALADINUM, licet sine dedecore fugere posset; deinde timens ne ipse succumbat, impingit ei alapam et fugit. SALADINUS eum insequitur, et gladio transfodit.

HINC :

- QUÆR. 1º *An liceat occidere injustum aggressorem famæ, si calumnia alia via impediri non possit?*
 2º *An GABINUS licite substiterit, aut fugere obligatus fuerit?*
 3º *An fugientem SALADINUS licite sit insecutus, et gladio transfoderit?*

SOLUTIO :

396. — *R. ad 1^m Quæs.* Neg. prorsus. Ratio est, quia talis licentia in maximam reipublicæ perniciem cederet. Homines enim ex sinistro affectu odii, invidiæ, vel judicij præoccupatione, facile sibi persuaderent ab hoc vel illo homine sibi imminere maximum infamiae periculum, sive cædibus omnia permiserentur. Quare, licet aliquando evidens esset gravem tibi imminere infamiam ab alio, quæ alio modo declinari non posset quam occidente aggressoris, rectus tamen ordo postularet, ut defensio illa occisiva prohiberetur, quia hac in re homines sibi facile evidentiam fingerebant. Constat etiam ex propositione 30^a ab *Inn. XI* damnata, quæ sic jacet : *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam*

inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat. *S. Lig. n. 381.*

397. — *R. ad 2^m Quæs.* GABINUS non licite substitit ad SALADINUM occidendum, sed fugere debuit. Ratio est, quia aggressio vitæ non erat adhuc actualis, sed minæ tantum intentabantur. Non est autem licita defensio, præsertim mortem inferendo, ubi non est aggressio. Insuper nunquam licet aggressorem etiam vitæ occidere, nisi alia via mors propria vitari nequeat. Sed in casu nostro supererat alia via, nempe fuga capessenda. Potuisset autem GABINUS resistere, etiam defensione occisiva, si fugiens animadvertisset ad periculum sibi imminens, quod jam declinari non posset. *S. Lig. n. 387.*

398. — *R. ad 3^m Quæs.* Nequaquam. Ratio patet ex dictis. Etenim non poterat GABINUM occidere ad vitandam calumniam, ut in responsione ad 1^m Quæsitum jam dictum est; deinde non poterat eum occidere ratione aggressionis actualis, siquidem ille fugit, nec fuit aggressor. Ergo SALADINUS, ut homicidii reus, omnino est damnandus.

CASUS IX.

DE ABORTU 1^o.

GASPAR, medicus, generalem vitæ præteritæ confessionem instituens, sequentia Confessario aperit : 1^o se olim cuidam mulieri gravidæ pharmacum dedisse ad conceptionem impediendam, ut gravissimum removeret mortis periculum, quod illi imminenter ex experientia noverat : id tamen solum directe intendit, scilicet ut mulieris salutem procuraret; 2^o se alteri mulieri gravidæ, alioquin certo perituræ, medicinam salutarem præbuisse ad morbum efficaciter depellendum, sed prævidebat prolem etiam enecandam fore; 3^o se mulieri tertiaræ, quæ secus in certo mortis periculo versabatur pharmacum præbuisse ad fœtum occidendum, simulque expellendum, ut liberata mater e morbo convalescere posset. Interrogatus vero a Confessario an in hoc postremo casu pro certo haberet, fœtum, etiam secluso pharmaco, absque Baptismo extinctum iri, respondet affirmative, scilicet sibi visum fuisse æquale abortus periculum futurum esse, sive medicinam sumeret mater, sive illa abstineret.

HINC :

- QUÆR. 1^o An aliquando liceat abortum procurare?
2^o Quid de singulis casibus sentiendum?
3^o An GASPAR in aliquam censuram inciderit?

SOLUTIO :

399. — *R. ad 1^m Quæs.* Nunquam licet abortum procurare *directe*, sub quocumque prætextu mortis vitandæ... Ratio est, quia, si fœtus fuerit animatus est homicidium proprie dictum; si animatus nondum sit, est homicidium anticipatum.

Licet autem aliquando abortum permettere, administrando matri remedia

fœtui nociva, si conditions sequentes concurrant : 1^o ut agatur de morbo lethali matris; 2^o ut mors infantis non intendatur, neque directe procuretur; ideoque remedia fœtui nociva sint *per se* ad morbum matris curandum *directe* et *immediate* efficacia; 3^o ut nulla sit spes Baptismum proli procurandi, v. g. si certum sit eam simul cum matre morituram. *S. Lig. n. 394.* — *Lacroix, n. 826 et seq.*

400. — *R. ad 2^m Quæs.* In primo casu, peccavit graviter GASPAR, quia jura naturæ graviter violavit, impediendo quominus homo concipi posset; neque verum est eum non intendisse *directe* conceptionem impedire: *mentitur enim iniquitas sibi*, si quidem ad hoc expresse remedia dirigit, sicut media ad finem.

In secundo casu, non est reprehendendus GASPAR, dummodo fuerint simul omnes conditions supra requisitatæ.

In tertio casu, peccavit graviter, homicidium verum *directe* patrando; etenim, licet bonum finem sibi proposuerit, volendo matrem e summo periculo liberare id tamen per remedium de se graviter illicitum attentavit: *non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona*; nec obstat quod proles sit etiam peritura, quia est semper verum homicidium patrare.

401. — *R. ad 3^m Quæs.* GASPAR incurrit tum irregularitatem, tum excommunicationem, in tertio casu, si fœtus fuerit animatus, ut censetur esse quando adeo valetudini matris nocivus est. Attamen excommunicatio non est Papæ reservata, sed ab Episcopo absolví potest. *V. S. Lig. n. 395.* — *V. Comp. n. 402 et seq.* — *V. Constit. Apostol. sedis.*

CASUS X.

ABORTUS 2^o.*Salus matris in jactura prolis.*

PELAGIA, mulier, a quatuor vel quinque mensibus prægnans, in summo vitæ periculo constituitur, et videtur jamjam animam efflatura. Præter medicum ordinarium, tres alii advocantur consilii capessendi causa. Re sedulo perpensa, sic unanimiter resolvunt: si ope artis medicalis procuretur ejectio fœtus, hic quidem peribit, sed probabiliter poterit baptizari antequam extinguatur, et mater certo mortis periculo eripietur. E contrario, nisi ita fiat, actum est tum de matre, tum de prole, et hæc beneficio Baptismi carebit. His statutis, coucludunt ad abortum procurandum. Eventus prævisionem medicorum probavit: proles enim ejecta, et baptizata, illico extincta est, et PELAGIA salva e tanto periculo evasit.

HINC :

- QUÆR. Quid juris? Seu an, stante casu, ut jacet, abortus procurari potuerit?

SOLUTIO :

402. — *Resp. Neg.* omnino. Nam abortus ex se et ex natura sua est verum homicidium. Assumitur autem et intenditur *in se* a prædictis medicis, tanquam medium ad matrem salvandam; et, ut ipsi aiunt, ad procurandum baptismum prolis; ergo, licet illum ad bonum finem referant,